

224. EXERCITATIO ACADEMICA

De

37

12

J U R E
in genere,

1670, 2

Quam

D. O. M. A.

PRÆSIDE

SAMUELE RACHELIO J. U. D.

Juris Nat. & Gent. PP. Collegii Juridici

Decano, & Academiae h. t. Prorectore

Magnifico,

Publica disquisitioni submittit

JOHANNES BAMBAMIUS

Otterendorpio - Hadelensis,

RESPONDENS.

ad d. VII. Septembris, in Auditorio Majori. 670.



KILONI,

Typis JOACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.

Generoso & maximè Strenno
DN. ANDREAE Schwartzen/
von und zum Busch/
Serenissimi Inferioris Saxoniae Ducis
in Provincia Hereditaria Hadelensi Vicario, supre-
mo Praefecto, & Commendatori,

Nec non
Nobilissimo Amplissimo ac Consultissimo Viro,
DN. HARDOVICO BAM-
BAMIO, Jcto, Sereniss. inferioris Saxo-
niae Ducis Consiliario, & in Provincia Hereditaria
Hadelensi Judici Directori.

Ut &
Amplissimis, Consultissimis atque Integerrimis Viris,
DNN. CONSULIBUS, SE-
NATUI & CIVITATIBUS

Otterndorpiensis Oppidi:
Patrono, Patri & Fautoribus

Suis omni observantia colendis

Has studiorum Academicorum primitias

D. D. D.

JOHANNES BAMBAMIUS,
Respondens,



Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

JURIS originem Chrysippus & Stoici non aliunde quam ab ipso Jove petendam esse dicebant. *Grot. in Proleg. de Jur. Bell. & Pacis.* Rem ipsam si videas, rectè omninò ita senserunt: sin etiam vocis originem, à Jovis nomine Jus Latinis appellatum probabiliter dici potest. Nisi fortè verius per abscissionem vox Juris nata est; ut ex eo, quod fuit ossum factum est os: ita ex eo quod fuerat Jussum, factum Jus, jussis, postea Juris. Ut ex Papisiis, Valisiis, Fusis, deinceps Papirii, Valerii, Fusii. *Cicero lib. 9. epist. 21. l. 2. §. 36. ff. de O. I. Grot. d. l. & in Annot. Prolegomenis subjectis.* Quam sententiam etiam amplexus fuit Hieron. Magius *lib. 4. Miscell. cap. 1.* Scipio Gentilis *in Comment. ad tit. ff. de V. S.* Juris ἐτυμὸν à tragica voce ἰσᾶ arcescit, quod aliarum injuriis oppressi soleant ejulare, quiritari, & juris opem implorare: quod ineptum ait esse *Habn. ad Wesemb. de J. & J. n. 14.* Alii illud à juvando derivant, quod societates humanæ nulla aliare magis juventur ac conserventur quam Jure; quandoquidem illud earum omnium vinculum est. Et verò cum his sentit Galeotus Martius *de promiscua doctr. c. 28.* Sed neque prætermittenda est Jcti notatio, qui *l. 1. ff. de J. & J. pr.* ait, Jus à Justitia appellatum esse. Hanc verò è Philosophia, non ex Grammatica petitam esse, rectè monet Contius *2. lect. 6.* Uti enim Jcti
A veteres

veteres suis etymologiis & allusionibus res ipsas earumq; veritatem confectantur, neque verborum incunabula sollicitè indagant; ita quoque hic Ulpianus rem ipsam philosophicè commonstrat, docetq;, ab habitu Justitiæ prodire omne Jus, ceu ejus sive objectum sive effectum. Quod uti verissimum, ita existimandum non est, Jctum grammaticam derivationem tradere voluisse. Proinde non est, quod hoc ipsum risum moverit Galeoto Martio, aut tam facilè Ulpiani sententia repudietur ab Hier. Magio, ceu ipsi profitentur, quorum verba exscribere nolo, cum vel apud ipsos illos, vel *Mart. Schokium tract. de Jure Nature* legiqueant. Sed hujus vocis originationes anxie conquirere, fortassis exiguum est operæ pretium. Hoc tamen adjiciendum est; cum Aristoteles docuisset, Jus esse medium inter Plus & Minus, adeoq; consistere in æqualitate, voluisse hoc ipsum item Etymologia græcæ vocis confirmare. *Propter hanc, inquit, causam δικαιοσιν appellatur, quia δικάσιν, id est, in duo æqualia divisio est, perinde ac si δικάσιν dicas. Et δικασίς nominatus est quasi δικάσιν, id est, qui in duo rem secat. s. Nicom. 4. §. 27.* Aristotelem hic, perinde uti antè Ulpianum fecisse constat, magis rem ipsam scrutari, quàm genuinum vocis *ετυμολογία* quærere, quis non videt?

II. Deinde explicanda erit hujus vocis multiplex significatio & homonymia: ut, qui hanc neglexerit, illum in toto Juris studio cœcutire, non sine ratione putet *Habn. d. l.* Qua in re sequemur ductum veterum Jctorum, qui complures nobis significationes *tit. ff. de J. & J.* prodiderunt, additis vel insertis etiam aliis, quæ huc pertinere visæ fuerint. Primò quidem Celsus & Ulpianus *l. 1. pr. d. t.* Jus describunt, quod sit *ars boni & æqui*: cum paulò antè dixisset, Juri operam daturum prius nosse oportere, unde
nomen

nomen Juris descendat. Mox hujus Studii duas facit positiones, ut aliud Publicum, aliud Privatum Jus sit. Unde liquet, per Jus ibi denotari ipsam Juris disciplinam, quam Jurisprudentiam appellare consuevimus. 2. Jus etiam seu Justum dicitur, quod non est injustum, seu quod non fit lege invita aut vetante. Ut hoc modo aliquid sit justum sensu magis negante, quàm ajente; ceu Grotius loquitur *lib. 1. de J. B. P. c. 1. §. 3. Ita jure hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis sui fecerit, jure fecisse existimetur. l. 3. ff. de J. & J.* Hoc Justum Cajus & Paulus interpretantur per Licitum, seu Permissum. Nam, inquit iste, *adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere l. 4. ff. ad l. aquil.* Hic verò, *Vim vi defendere omnes leges omniaq; jura permittunt. l. 45. §. 4. eod.* Neque tamen hinc colligi velim, ad defensionem nullo casu homines obligatos, sed tantum illam his permissam esse. 3. Jus nonnunquam ipse locus, seu Judicium, ubi jus redditur, dicitur. Quod licet minus aptè dictum putet Dominicus Soto *lib. 3. de iust. & Jur. qu. 1. art. 1, sub fin.* Certam tamen frequentemq; Romanis hanc acceptionem fuisse, dubitare nos non sinunt *l. 11. fin. ff. de J. & J. Rubr. & l. 4. §. 1. ff. de interrog. in jure fac. & Tit. ff. de in jus vocando, cum trib. seqq. Rubricis, junctis Rubricis Tit. 10. & ubi vocula Juris in superioribus, per Judicium in his explicatur.* 4. Sed & pro necessitudine accipitur: veluti, est mihi jus cognationis vel adfinitatis. *l. ult. ff. de l. & l. l. 34. ff. de pact.* 5. Quandoque Jus pro primaria ejus specie Naturali, intelligi debet. *Wesembec. parat. de iust. & Jur. n. 14.* Atque hoc κατ' ἐξοχήν Jus est, & ut Paulus ait, semper æquum bonum est. *l. 11. ff. de l. & l. l.* Atque hinc fortè Jurisprudentia ars boni & æqui fuit definita *l. 1. d. 1.* Perspexere scilicet Jcti, non eandem esse rationem Juris Naturalis, &

Arbitrariū; hoc enim interdum in acerbum rigorem degenerat, istud semper æquum & bonum est, nihil iniquitatis habens, quin semper humanitati potius consulens.

7. Præterea sicuti vox νόμος Græcis speciatim denotat Legē arbitrariam: unde Aristoteles Juri Naturali contra distinguit δίκαιον τὸ νόμιμον, Jus Legitimum: & sæpè aliàs τὸ Φύσει, ac τὸ νόμῳ opponuntur; ita quoque Jus interdum speciatim significat Jus arbitrarium, & præprimis quod alicui Reipublicæ, veluti Romanæ, proprium est. Altero, inquit Jctus l. ii. d. t. modo Jus dicitur, quod omnibus aut pluribus in quaque civitate utile est, ut est Jus civile. Wesenbec. d. l. n. 14. Huc pertinent illa Isidori: Jus est lex humana c. 1. dist. 1. Item, Omne jus legibus & moribus constat. Lex est constitutio scripta. c. 2. & 3. ibid. Ita Imp. ait, quasdam actiones ipso jure competere, hoc est, jure civili, & quidem Prætorio contradistincto, §. 10. Inst. de action. l. 9. §. 1. ff. usufr. quem adm. cav. l. 1. §. ult. ff. de superfic. Ut verò specialem in super Juris significationem constituamus, qua illud Jus Prætorium seu Honorarium designat l. ii. d. t. nihil videtur esse necessum. Etsi enim nemo ferè nesciat, qua ratione Jus Prætorium soleat Civili contra distingui; hujus tamen in genere sumpti id partem esse satis est manifestum. Adeat, qui velit, Vinnium ad §. Inst. de l. N. G. & Civ. ad §. 1. Instit. de obligat. ad pr. Inst. de perp. & temp. action. 8. Cumq; Jus arbitrarium sæpe emendatione & restrictione indigeat, ne summum jus fiat summa injuria, per Æquitatem illa adhibetur; est enim illa ἐπανόρθωσις τῶν νομίμων δικαίων, correctio juris legitimi. Aristoteles 5. Nicom. 10. §. 11. Atque hæc Æquitas etiam dicitur Ius seu Iustum, & quidem Melius jus, non absolutè, sed quatenus Juris legitimi ἐλλείματα seu defectus emendat, d. c. 10. §. 17. Cave sis autem hanc æquita-

quitatem & hoc Ius, quo corrigi Ius legitimum diximus, confundas cum illo æquo bono, cujus antè mentionem feci, quod Icti ferè *συνορίμως* pro Iure Naturali accipere videntur: qua de realiàs. Videatur interim Grotius *lib. 3. de J. B. P. c. 20. n. 47. 9.* Ius quoque sæpenumero varios Iuris effectus denotat. Et modo tales, qui ex sola Iuris dispositione proficiscuntur, accedente nullo facto humano. Veluti cum sui hæredes Ictis Ro. dicuntur ipso jure heredes existere. §. 3. *Inst. de hered. quæ ab intest.* Hi enim sola juris potestate, sine ullo suo facto aut voluntate, heredes fiunt: & ideo non ut extranei, hereditatem adire dicuntur, sed heredes existere. *l. 14. ff. de suis & legit. hered.* Modò tales, ut factum humanum accedat, & juris dispositioni conformetur. Quales Iuris effectus item non sunt unius generis. Velenim & Ius rectè se habet, & quoque factum ei est consentaneum. Ita occupatio rei pro derelicto habitæ, aut possessio legitimo tempore ac modo continuata prodest ad effectum dominii consequendum, & ad rei vindicationem instituendam. *l. 23. pr. ff. de rei vind.* Atque tunc Iure nostro uti dicimur. Quandoque Ius in se spectatum bene se habet, factum autem humanum, cui Iuris effectus in genere est tributus, Iuris dispositioni adversatur. Atque hoc modo Prætor jus reddere dicitur, etiam cum iniquè decernit: relatione scilicet facta non ad id, quod ita Prætor fecit, sed ad illud, quod Prætozem facere convenit. Nam & hujusmodi iniquum decretum executioni committitur, nisi alio quodam remedio illa suspendatur, vel tollatur. Nonnulli Iuris effectus sunt tales, ut & Ius in se spectatum, unde prodeunt, sit iniquum, & facta his conformata perinde talia. Hujus notæ plurimi sunt effectus juris gentium bellici, de quibus cum Grótius pri-

mis libri 3. de I. B. P. Capitibus differuisset, jamq; ad horum
Temperamenta sibi transitum pararet, ita præfatur c. 10. n.
1. *Legenda mihi retro vestigia, & eripienda bellum gerentibus
penè omnia, qua largitus videri possum, nec tamen largitus sum.*
Nam cum primùm hanc Iuris gentium partem explicare sum ag-
gressus, testatus sum, juris esse aut licere, multa dici eò, quod im-
punè fiant: partim etiam, quod judicia coactiva suam illis au-
toritatem accommodent, quæ tamen aut exorbitent à recti regu-
la, aut certè omittantur sanctiùs, & cum majori apud bonos lau-
de. Atq; hanc ob causam ille toties distinguit inter Ius
Externum, & Internum: ad prius qualescunq; effectus re-
ferens: per posterius Ius ἀπλῶς tale, & quod in foro consci-
entiæ sanctitatem suam tueri possit, intelligens. Notabi-
lis ergò est 10. illa juris notio, qua significat id, quod im-
punè fit, & juris sæpe habet effectum, etsi in se sit injustum.
Ita sæpe, aut centesimas, imò his in R. O. Rep. maximis ma-
jores etiam usuras accipere, passim justum perhibetur,
cum extra certas causas non nisi impunè id fiat. Grotius &
alii pari ratione hanc legem XII. Tab. *Si fur noctu furtum
faxit, eumq; aliquis occiderit, jure cæsus esto,* interpretantur,
ut hoc solum impunè fieri possit, non autem ut verum jus
occidenti detur; quibus tamen non omnino adsentior.
Vid. Grot. lib. 2. de I. B. P. c. 1. n. 14. & ibi Bæcler. p. 27. 11. Ius
frequentissimè dici reperias, pro complurium legum seu
sanctionum corpore vel systemate, varias fortè Iuris spe-
cies etiam comprehendente. l. 7. de R. I. §. 3. & 12. *Inst. de I.
N. G. & Civ.* ubi etiam Iuris R. O. species enarrantur. Quin
& 12. conditio ac certus status, quo homines in civitate
vivunt, vel æstimantur, Ius appellatur. *tit. Inst. de jure per-
sonar.* qui uberiùs explicatur *tit. ff. de statu homin.* 13. Ti-
tulus quoque, quo dominium vel legitima possessio niti-
tur

tur Iuris nomine venit. *l. ult. ff. de aq. & aq. plu. arcend. l. 3. §. 4. ff. de aq. quotid. l. 10. ff. si serv. vind. & ibi Gothofr. 14.* Item res incorporales speciatim Iura, seu in jure consistere dicuntur. Atque ita alia sunt jura prædiorum urbanorum, alia rusticorum, quæ alioqui Servitutes dicuntur. Quæ ita appellantur, quod à jure certam ac definitam formam acceperunt, cum revera & natura existant. *Inst. de reb. corp. & incorp. & ibi Vinn. 15.* Non rarò etiam Ius pro Privilegio usurpatur, quod Ius singulare dicitur Paulo *l. 16. ff. de legib.* Hinc Titulos Digestorum, de Iure Dotium, & de Iure Fisci, Eclogæ & Icti Græci interpretantur, *ἡ δὲ ἀρχαία, id est, privilegio.* Gothofr. ad rubricam *dd. tit.* Et in Codice Justinianéo gemina ratione leguntur Tituli, *de Iure Dotium, de Iure Fisci: & lib. 7. de Privilegio Fisci, ac de Privilegio Dotis* se invicem excipiunt. Par videtur esse ratio Tit. Digestorum *de Iure Immunitatis: & Codicis, de Iure Reipublicæ.* Tale olim fuit apud Romanos Ius *τῆς παιδείας, trium liberorum:* hodie jus *ἀρχιμύσεως,* & similia privilegia alia. *Gail. 2. Obs. 19. 16.* Est etiam Ius aliquod Politicum, quo universa Respublica constituitur & administratur; atque hoc vel absolutè tale, veluti in *παρβασιλεία,* Aristocratia, & Politia: vel ἐξ ἰσοθέσεως, saltem in quibusdam capitibus: quale est Iustum Tyrannicum, Oligarchicum, & Democraticum. Atque illa omnia publici Iuris species sunt. 17. Superfunt & aliæ Iuris significationes. Nam sæpe Facultatem alicui jure competentem notat. Quæ Grotio ita describitur, quod sit qualitas moralis personæ competens, ad aliquid justè habendum vel agendum. *lib. 1. de I. B. P. c. 1. n. 4.* Ita dicimur persequi jus nostrum. Ipsa q; actio hinc definitur, quod sit jus prosequendi in judicio, quod sibi debetur. *pr. Inst. de Action.* Quò pertinet illud Comici, *Suum jus*

ius postulat. Atque sic respectu imperantium & magistratum, qui sunt custodes legum, & *δικαιον ἐμψυχον*, Iustitia est constans & perpetua voluntas, cuius iniquè læso jus suum tribuendi. Quod si Grotium porro sequi placet, is sub Facultate contineri ait Potestatem, tum in se, quæ Libertas dicitur, tum in alios: *d. c. 1. n. 5.* Itaque 18. Iuris vocabulo etiam Libertas significatur: ceu videre licet ex Rubrica & *tit. ff. de his qui sui, vel al. juris sunt.* Ita sui Iuris populus vel Civitas dicitur, quæ sit *ἀντιέξοια*, *ἀνίστομι*, *ἀντιπύδου*. 19. Potestatem quoque seu auctoritatem, Iuris nomine crebrò venire, satis compertum est. Ita exactis Regibus, penes Consules summum jus fuisse, inquit Pomponius *l. 2. §. 16. ff. de O. I.* Quo exemplo rectiùs etiam potestas tutoris definita fuisset per Ius, quam per Vim *l. 1. ff. de tutel. §. 1. Inst. eod.* Unde etiam Theophilus pro *vis ac potestas*, quibus vocibus generis loco usus fuit Servius, inquit, *δικαιον καὶ ἐξοία, jus & potestas.* 20. Restat denique præcipua & tritissima Iuris significatio, eaq; maximè genuina, qua denotat objectum cujusque Legis. Duplex enim Legis objectum est, Internum, & Externum. Hoc sunt actiones humanæ: istud, ipsa Iuris formula, juxta quam actiones Legislator componi jubet. Atque hinc fit, ut Ius sæpissime pro ipsa actionum humanarum norma, Lege, usurpetur. *Grot. d. c. 1. n. 9.* qui isthic tres tantum Iuris notiones proponit, tanquam præcipuas, usuq; maximè tritas, non sanè quod complures alias superesse nesciverit. Has ergo nos observavimus Iuris æquivocas notationes, inter se, ni fallor, omnes invicem distinctas, ut tamen postremam harum præcipuam iterum dicere haud pigeat.

III. Si verò hujus *συνώνυμα* conquiramus, vix nisi duo occurrent, *Lex & Fas.* Legis enim & Iuris ferè promiscuus

scuus est usus. Si tamen rem & utriusque naturam videas, discrimen inter hæc non est nullum. Quippe Lex est integra propositio Legislatoris, quæ certam formulam agendi vel non agendi præscribit; ut adeò Jus ejus objectum internum, Actiones humanæ sint objectum externum. Videlicet uti numerus numerans à numerato, & ulna, qua metimur, ab ulna panni; ita Jus seu Justum à Lege differt. Deinde quoque *Fas* & *Jus* sæpe ceu *συνώνυμα* conjunguntur. Ita, ut quædam etiam diebus festis opera fiant, secundum Poëtam, *Fas & Jura sinunt*. Quod licet Servius ita interpretetur, ut *Fas* ad religionem, *Jura* ad sanctiones humanas referantur: & quoque Isidorus dicat, *Fas* Legem divinam, *Jus* legem humanam esse *c. 1. dist. 1.* Horum tamen fidem elevat non minus frequens diversus usus & significatio voculæ *Fas*. Quando enim Poëta ait:

*Fas prohibet quemquam Latio de sanguine natum
Vincla pati;*

Lex utique Civilis Romanorum indigitatur. Ne quid dicam, *fas* nobis esse plerumque dici, quæ licitè à nobis fieri possint. Reliqua, si qua sint alia, non moramur.

IV. Jus ergo est norma, per Legem à Legislatore præscripta, cui actiones humanas conformari necesse est. Ex qua definitione patet: causam Juris proximam esse Legem, atque hanc suam autoritatem Juri communicasse, ut homines actiones suas, puta morales, utpote solas justis & injustis capaces, huic normæ attemperent; sic ut homines ita facere omnino necesse sit. Unde hoc colligendum est, propriè dicto juri vim atque autoritatem obligandi semper inesse. *Add. Conring. disp. de Jure tb. 8.*

V. Etsi enim arbitrii libertas homini naturaliter sit concessa, ne tamen illa degeneret in perniciosam, & naturæ

B

ac



ac Rationi adversam licentiam, Legibus eam regi, certoque modo adstringi convenit. Sic enim homines, proclives aliqui ad lubricitatem variasque cupiditates, rectam Honesti Justique orbitam premere poterunt. Quando ergo Cicero *Offic.* ait, *Libertati proprium esse, sic vivere, ut velis; non utique facultatem agendi vagam & effrenem esse vult, sed qua præter rectæ rationis & juris obligationem nullius alterius arbitrio obnoxia sit.* Unde idem *pro Cluent.* *Ideo, inquit, legum servi sumus, ut liberi esse possimus.* Aristoteles *5. Polit. 9. fin.* *ὅτι οἱ εὖ δαι δαλείαν εἶναι τὸ ζῆν πρὸς τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ σωτηρίαν,* *Non servitus putanda est, vivere Reip. convenienter, sed salus.* Ubi Sepulveda, τὸ *vivere convenienter Reipubl.* bene interpretatur, *Leges Reip. non violare.* Ideo cum etiam Jctus Libertatem definivisset, quod sit naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, commodè id ipsum restringit, *nisi quid Jure prohibeatur.* De vi autem quod ibi additur, huc non æquè pertinet. *l. 4. §. 1. ff. de stat. hom. §. 1. Instit. de jur. Person.*

VI. Etenim in homine duæ sunt præcipuæ Facultates animæ, Intelligens & Appetens. Ista uti planè destituntur bruta, ita quoque Appetitus aliter in homine est affectus, atque in brutis. Brutorum appetitus ea bona expetit, quæ sensus aut phantasia illorum talia judicat. At Appetitus humanus & potest Rationis vim persentiscere, & debet quoque inclinationem ac motus suos ejus regimini ac judicio conformare. Unde fit, ut bruta quidem sponte agant, sed impetu merè animali, non moraliter. Homines vero cum sponte agunt, & libere agunt, atque moraliter. Hinc Doctores Scholastici voluntarium (spontaneum, seu τὸ ἐκείον, intelligunt) aliud secundum perfectam, aliud secundum imperfectam rationem commenti, hoc brutis, illud soli homini tribuerunt. Ut mirer, eò vesaniæ prolapsus fuisse Petrum

trum Pomponatium *lib. de Fato*, ejusque discipulum Simonem Portium eandem arripuisse opinionem, non aliam esse humanæ voluntatis, quàm appetitus illius, qui est in brutis naturam. Quò etiam pertinet illa Cynicorum absurditas, qui inverecundè docebant, non minùs licitè ab hominibus in propatulo fieri posse, quam quæ à canibus & brutis patrari videmus. Sicut enim Appetitio, ita & Fuga in hominibus ratione regi potest ac debet: id quod in brutis fieri nequit.

VII. Si ergo Voluntas est ὁρεξις μετ' λόγῳ, *Appetitio cum ratione conjuncta*, ut ab Aristotele definitur *1. Rhet. 10.* illaq; in obsequio Rationis vivere naturaliter debet: & Lex est oratio à prudentia profecta, secundum eundem Philosophum *10. Nicom. ult. §. 35*; sequitur arbitrii & voluntatis libertatem normâ legum juriumque, ipsa Natura magistra, debere circumscribi atque determinari. Hinc ita in textum ex Politicis Aristotelis antè allatum commentatur Thomas: *Liberum est, quod est causa sui, vel in genere cause agentis, vel finalis. Unumquodque autem maximè dicitur illud, quod est principale in eo. In homine vero principale est Intellectus. Et ideo homo maximè dicitur liber, cum operatur secundum intellectum & rationem. Cum autem vivit secundum Rempublicam, operatur secundum rationem. Ergo vivere secundum Rempublicam, non est, esse in servitute, sed libertate magis.*

VIII. Idem præterea sic demonstrari poterit, quod, cum Homo naturâ sit ζῷον κοινωνικόν, *animal sociale*, quinimo secundum Aristotelem, ζῷον πολιτικόν, ad societatem civilem naturâ adspirans animal; nulla vero societas esse aut subsistere possit sine ordine; Libertas naturalis omnino intra Ordinis, quo quæque societas naturaliter, vel ex conventionem aut placito regitur, cancellos sit coarctanda; extra hos



enim si evagabitur, enormis erit licentia, unde non poterit non dissensio, divisio, ac tandem dissolutio societatis sequi. ἡ δὲ τάξις, νόμος, *Lex vero est ordo*; inquit Philosophus 3. Polit. 12. p. m. 207. Plenius idem 7. Polit. 4. p. m. 442. his verbis proponitur: ὁ γὰρ νόμος, τάξις τις ἐστὶ, καὶ τὴν εὐνομίαν ἀναγκάσιον εὐτάξιαν εἶναι, *Lex ordo quidam est, & bonam legum institutionem necesse est bonam ordinationem esse.* Quid quod ipsa Respublica illi definiatur per ordinem? notatque Gifanius apud Græcos sæpe promiscuè accipi, νόμον & τάξιν; hæc enim istius est effectus. Unde sequitur, Voluntatem actionesque hominis Legibus ac Juribus cujusque Societatis ordinem constituentibus & moderantibus, utique obnoxias esse debere. His addi poterunt, quæ Seldenus habet lib. 1. cap. 4. de I. N. G. jux. discipl. Hebr. pag. 44. seq. edit. Argent. & quæ Dd. commentantur ad d. S. 1. Instit. de Jur. Person.

IX. Inquirendum jam porrò est, quid sit Obligatio, vel Obligari. Justinianus nobis hanc exhibet definitionem: *Obligatio est Juris vinculum, quo necessitate adstringimur alicujus rei solvendæ secundum nostræ civitatis Jura.* pr. Instit. de Obligat. § 1. 3. pr. ff. de O & A. sed illa neque satis est exasciata, neque nostro instituto conveniens. Primò enim genus illius est metaphoricum, quale ars ratiocinandi non facillè admittit. Deinde agitur hic speciatim de Obligatione ea, quæ actionem civilem producere potis est. l. 7. ff. de pact. Bach. & Vinn. add. §. Instit. Nobis verò decretum est, de obligatione in genere dispicere; Denique & latius patent fines obligationis, quàm ut aliquid solvatur. Secundum superiora itaque sic describimus *Obligationem*, quod sit *autoritas legis, qua libertas hominis naturalis adstringitur, ut juri & ordini cujusque societatis, cujus pars esse velit, agendo vel non agendo se conformet.* Hæc libertatis adstrictio
Neces-

Necessitas dicitur Justiniano definitione ejus paulò antè
proposita. Atque hinc *l. 13. C. de Contrab. empt.* dicitur, quod
nulla obligatio sit, quæ non necessitate quadam adstringat.
l. 99. ff. d. V. O. Ex quibus & hoc facilè colligitur, eum, qui al-
terum obligat, hoc superiorem saltem hætenus esse; Le-
gem enim agendi, vel non agendi, aut hoc aliove modo a-
gendi ei dicit.

X. Libertatem voluntatis obligatione Juris adstringi
diximus, ut motu & inclinatione sua legum præscripto se
conformet. Voluntatem enim esse præcipuam Appetitus
speciem, ceu certum constituimus. Confirmat illud Phi-
losophus *Magn. Mor. c. 12. Ad id, quod agimus, aliquis nos impel-
lit appetitus. Atqui tres sunt Appetitus species, Cupiditas, Ira,
Voluntas.* Deinde & hoc alterum ratum esto, Voluntati
formaliter libertatem competere: ceu post Thomam, Ca-
jetanum, Javellum, Fonsecam, Suaresium, aliosve demon-
strat Hornejus *lib. 2. Philos. moral. cap. 5. n. 6. seqq.* Appetitus
autem duo sunt contrarii motus, *διωξίς καὶ Φυγή, Persecutio, &
Fuga.* Nam quod in ratiocinatione est *Affirmatio & Negatio, hoc
est in appetitu Persecutio & Fuga. 6. Nicom. 2. §. 4.* Jus igitur
obligat hominem, ut illa velit nolitque, quæ illud facienda
jubet, aut non facienda prohibet. Unde duplicis generis
præceptis Jus omne propriè dictum constat, præcipientibus,
& prohibentibus: istis adstringitur *διωξίς*, persecutio volun-
tatis, ut illa agere expetat, quæ Jus præcipit, & fortè eo etiam
modo ac fine, quo Jus præcipit. His adstringitur *Φυγή*, fuga
voluntatis, ut, quæ Jus omittenda & non facienda prohibet,
illa quoque fugiat & omittat. Unde manifestum & hoc est,
tam peccari, omittendo ea, quæ jus præceperit, quàm com-
mittendo ea, quæ fieri prohibuerit: adeoque jurium præce-
pta

jubentia omissione ac negligentia, vetantia proterva commissione violari. Ubi autem liberi appetitus motus Juris ductum secuti fuerint, tunc demum idem velle atque idem nolle inter facultates animæ humanæ amicitia est: qualem in mala causa Catilina commendat apud Sallustium.

XI. Illa obligandi autoritas, adeoque constituendi propriè dictum Jus, procul dubio erit apta à potestate inno-
mothetica. Cum enim Jus sit objectum legis, utique illud absque lege esse nequit: neque Lex sine Legislatore, hoc est eo, qui potestatem habeat, aliorum libertatem lege lata adstringendi. Hæc ergo potestas cum in Deo sit maxima & summa, in hominibus modò major, modò minor, modò minima, & quandoque mutua; Jus quoque in genere dictum plurimum diversum, neque æqualem cujuslibet Juris obligationem esse, liquidò patet; sic ut Juris & Legis vocabula hac ratione αὐτὸν εἶναι dici videantur. Imò si penitus rem investigemus, humanarum legum autoritatem divini Numinis religiosa reverentia & irrefragabili autoritate præcipuè ac necessariò niti deprehendemus. Atque hinc est, ceu initiò dixi, quod Stoici alique Jus omne à Jove autore arcessiverint: & quod Poëtæ Themis Jovis filiam esse, eique assidere, finxerint. Et Hesiodus ait: ἀνθρώποισι νόμον διέταξε Κεγνίων, *Jupiter legem hominibus condidit.* Quod enim attinet Jus Naturale, ejus obligationem nemo nisi unicè ad Deum referet, quandoquidem illud cum ipso genere humano cœpit, eoque omne humanum genus obligatur, quo nemo nisi Deus superior est. Si vero Jus arbitrarium spectes, illud omne vel publicum erit, vel privatum. Istud Legibus propriè dictis, hoc Pactis constare dico. Utrumq; vel à legislatoribus vel paciscentibus proximè quidem obligandi

gandi vim habet; at reverentiam aut solidam observan-
tia consequi per se non valebit, nisi istis hanc basin subjicias,
Magistratibus & juste imperantibus obedientiam esse præ-
standam; his verò, fidem datam esse servandam. Etsi enim
legislatores quandoque formidine poenæ legum autorita-
tem adstruere queant, malus tamen obedientiæ custos me-
tus erit, si subditi suum robur adversus legislatorem expli-
care, aut quovis modo sive hi, sive paciscentes nexu juris se
liberare contendant. Quae de re cum prolixè post Selde-
num *lib. 1. de J. N. G. jux. disc. Hebr. in Prolegomenis Commenta-
rii mei in Ciceronis Officia* dixerim, nolo illam utcunq; neces-
sariam pluribus repetere.

XII. Juris normæ actiones humanas morales con-
formandas esse th. 4. monui. Hæ enim solæ sunt liberæ, ju-
sti & injusti, adeoque & præmii poenæque capaces. Ubi de-
nuo repetendum est, sub τ agere, sæpe etiam contineri
 τ non agere, puta, ut agamus ea, quæ Juris præcepta exi-
gunt; non agamus, quæ alia vetant. Cum ergo Legum
præcipientium & vetantium obligatio ad diversos effectus
pertineat, Obligatio in genere non poterit commodè de-
finiri, quod sit Juris vinculum, quo necessitate adstringi-
mur alicujus rei solvendæ *pr. Inst. de Obligat.* etiamsi hanc
descriptionem expleveris *l. 23. § 176. ff. de V. S. ut & l. 54.
ff. de solut.* Quod cum animadvertisset Paulus Jctus ob-
ligatione nos adstringi ait, ad dandum aliquid, vel facien-
dum, vel præstandum. *l. 3. pr. ff. de O. & A.* Quæ etsi latiùs
pateant, quàm τ olvere, his tamen necesse est etiam taci-
tè subintelligas actus negativos, non dare, non facere.
Nam si fortè obligati simus, uti fit, ad quædam patiendæ,
hæc ad non agenda item referuntur, quatenus obniti a-
genti, eumve impedire in iis non licet.

XIII



XIII. Demonstratū quoque hinc jam facile est, Juris non esse capax, nisi solum animal rationale, Hominem : ad- eoque, cum ratione & libertate agendi sint destituta, bruta omnia juris incapacia & expertia vivere longè certissimum est. Nunquam enim mihi sive veterum, sive recentiorum studium placuit, quo rationem brutis adserere annisi sunt. Quo pertinent cum primis duo Plutarchi libelli, quorum alterum inscripsit, τὰ ἄλογα λόγῳ χρῆσθαι, *Bruta ratione uti*: alterum, πότρεα τῶν ζώων φρονιμώτερα, *Qua animalia maximè pol- leant prudentia*: & quæ hinc transcripsit, aut addidit his Por- phyrius lib. 3. περὶ ἀποχῆς τῶν ἐμψύχων. Quibus addi poterit Galeni Protrepticon, quo item brutis Rationem tribuere instituit. Et quod de Anaxagora memorat Aristot. I. de Anima. t. 24. qui mentem omnibus animalibus compete- re docuit. Neque adsequi possum quid in mentem ve- nerit Hieronymo Rorario, qui duobus libris ostendere in- stituit, *Quod animalia bruta ratione utantur melius homine*. Explosa quoque dudum est absurda illa Empedoclis & Py- thagoreorum μετεμψύχωσις, irrita etiam à Luciano in Gallo: cui addi possunt Porphyrii de abstinentia animalium lib. 3. § 4. & Sex- Empiricus adv. Mathematicum lib. 8. c. περὶ θεῶν: ut jactatione abstinere potuisset Petrus Gassendus, qui præfatione in Ex- ercitationes Paradoxicas adversus Aristoteleos inquit: *Bru- tis rationem restituo. Intellectum Phantasiamque nullo discer- no discrimine*. Sic vero antiquum redibit chaos, & ex be- stiis homines, ex hominibus bestia evadent. Et tamen addit mox Gassendus, *id maximè suadeo, ut respiciat Homo, quod non est*.

XIV. Ipse, fateor, Aristoteles non adhibet perpetuam ἀκρίβειαν in his distinguendis, quæ tamen maximè sunt di- versa; Nam in libris de Anima sæpiusculè nōs ipsi pro φαν- τασίᾳ

νοια, atque vicissim phantasia pro intellectu ponitur. Quippe & is aliquid ex veterum Philosophorum more retinuit, quibus placuit illud, *σκοπισον*. Certum interim est, & in homine & in brutis esse facultates cognoscendi & appetendi quadantenus communes, quandoquidem & Homo animal est. Interim quia Homo præstantissimum omnium animal est, operationesque exprimit merè animali natura longè sublimiores, ideo quoque non merum seu brutum animal est, sed in quo præter sensus internos externosque divina particula auræ, Ratio & Intellectus, regnat atque eminent, cujus facultatis beneficio Deum, cœlestes humanasque res, earum causas, & effectus cognoscit, deque iis ratiocinatur. At sicuti hæc Facultas Intellectus non est in brutis, ita nec in iis est vera *διανοια*, qualiscunque tandem illis etiam cognitio competere possit. *Non fit Syllogismus, nisi ex altera saltem propositione universali, quam cognoscere Phantasia non potest;* inquit Zabarella *cap. 3. de ordine intelligendi*. Cui adde Franc. Piccolomineum *cap. 13. de Sensib. internis*. Sed & Facultas appetens in homine magna gaudet prærogativa, quod imperium, monita & dictatus Intellectus exaudire, iis morem gerere & liberè obsequi possit: cum bruta impetu ferantur in bonum sibi cognitum, neque pro arbitrio (quod nullū habent) agere, non agere, agere bene, aut malè agere queant. Quin positis omnibus requisitis necessariis, nulloque injecto impedimento, necessario motu suum bonum bruta appetunt. Ita si canis esuriat, & adsit cibus, absit verberum formido, & quodlibet aliud impedimentum, necessario, non liberè comedet. Ut adeò mirer, qua sagacitate Chrysippus indagaverit, canes etiam dialecticæ participes esse.

XV. At hic mihi quis objecerit, esse alia bruta multum canibus argutiora, in quibus forte λόγος cerni queat. Quis non stupeat admirabilem structuram favi & mellificium in apibus, assiduitatem formicarum, Elephantorum, saltus, itus reditusque ciconiae & hirundinis, philomelae exquisitissimos modulorum, psittaci aut picae garritum & qualemcunque loquelam, simiarum humanis simillimas gesticulationes, & sexcenta ejus generis alia. *Budaus ad l. i. ff. de l. & l. Liber enim impleri posset exemplis, quibus probaretur, ratiocinatione etiam non destitui animalia rationis expertia;* inquit *Salmasius in Epictet. & Simplic. p. 136.* Ubi Vir doctissimus vel manifestè errat, vel vocabulorum æquivocatione ludit. Nam ut ratiocinatio procedat absque ratione, est ἐκ τῶ ἀδυνατῶν. At si per ratiocinationem bestiarum significat qualemcunque sensum ac phantasiam apprehensionem operationemque, hæc vera Διάνοια non erit, quæ solius Intellectus est. Sint ergo in brutis quædam μιμήματα & ὁμοιώματα, quibus ad actiones humanas videantur accedere; non tamen ab Intellectu proficiscuntur, sed natura animali, cuique speciei propria, cui Providentia divina proprios etiam instinctus inlevit, ad quos necessario quodlibet brutum proclive est, sine vera ratione, sine agendi libertate. Unde & *Seldenus lib. 1. de J. N. G. jux. disc. Hebr. c. 4 & 5.* Hebræos *Jctos* laudat, qui & ipsi non ex jure aliquo, sed è propensione atque inclinatione tantum ajunt animantium cæterorum actus evenire. *Vinn. ad pr. Inst. de J. N. G. & Civ. nu. 4.* Quidquid hujus humano juri aliqua parte analogum in brutis deprehenditur, ex inclinatione merè naturali & necessaria est, non ex cognitione objecti, tanquam boni & honesti; uti rectè docet *Calixtus nostras Epit. Theol. Moral. p. 48.* ut omnino frustra sit *Pappus Alexandrinus lib. mathem. collect.*

lect. in præf. qui Apes ex principiis quibusdam geometricis,
& artificiosa figurarum quarundam æquilaterarum & æqui-
angularum, veluti trigoni, hexagoni cognitione suos favos
& cellulas constipare fingit. Esto enim, quod hæc apium
præsepia figuras quasdam geometricas referant, non tamen
ratiocinatione aut disciplina illa ab apibus concinnantur,
sed instinctu merè naturali, eoque necessario, ut aliter lo-
culos suos contexere nequeant. Risum ergo meretur,
quod de Ammonio Alexandrino, Origenis Magistro, refe-
runt, habuisse illum asinum sapientiæ auditorem; nisi id
ἡ Φορηκὸς sit intelligendum. Cui accenseri fortè potest,
quod de suo asino narrat Buridanus in lib. 3. Et bic. q. 1. & 2.

XVI. Bruta vero, inquis, quotidie condoceri, per
adsuefactionem ad varias operationes instrui, mansuescere,
& plagis emendari videmus. Jam vero præcipuam Vir-
tutis acquirendæ causam Aristoteles ἐθισμὸν, adsuefactionem,
esse ait. *Non parum refert, sed perquam multum, sic ne an sic à
pueris adsuescamus. Immo vero totum in eo positum est. 2. Ni-
com. 1. §. ult. Et lib. 10. Nicom. c. ult. §. 12. seqq.* cum docuisset
bonos nos fieri, *Φύσει, ἔθει, διδασχῆ, natura, adsuefactione, & do-
ctrina;* primas tamen Adsuefactioni tribuit. Si ergo Adsue-
factio præcipua Virtutis indispensandæ causa est, nec tamen
actiones virtutum sine ratione & libertate expediri possunt,
bruta interim etiam multis rebus adsue fieri videmus, non
omnino ratio ac libertas ipsis defuerit, adeoque & his Juris
præcepta præscribi poterunt, juxta quorum normam adsue-
factionem dirigant. Sed neque alterum illud negari pot-
est, variis pœnarum castigationibus bruta solere emendari,
& ad varia studia seu actiones flecti vel impelli. His ergo
dubitationibus motis etiam occurrendum erit.

XVII. Primum quod attinet. Non equidem inficias
imus, etiam brutis quandam convenire suam Adſuefactio-
nem, non vero talem, qualem homini competere puta-
mus. Eſt enim in brutis quædam cognitio & perceptio vo-
luptatis & doloris, quibus exprimendis Vox ipsis inſervit.
*Vox triftis rei ac jucundæ nota eſt. Quare cæteris quoque ani-
mantibus data eſt. Hucusque enim natura ipſarum pervenit, ut
ſentiant, quod moleſtum eſt ac jucundum, & hæc ſignificant ſibi
ipſis. Verba ſunt Philoſophi 1. Polit. c. 2. p. m. 7. Ubi ergo
bruta à ſuis magiſtris in certis actionibus exercentur, non
niſi ſenſu jucundi & moleſti excitantur & adſueſcunt, &
in hac adſueſtione proficiunt, quatenus præter curam
magiſtri & diſpoſitionem corporis cuiquæ beſtiæ tributam,
ſenſum, phantaſiæ & memoriæ in iis viſ efficax eſt. Ho-
minis vero Adſueſtione adjuvatur eὐφροιά bonitate naturæ,
& quoque Doctrina, qua ipſius Intellectus inſtituitur, mo-
netur, argumentis convincitur & paulatim perficitur: ut
adeò Adſueſtione hominis non ſolum Magiſtri, ſed & pro-
pria ratione adjuvetur & inſtruatur. Cum primis vero
adſueſtione hominis ab adſueſtione brutorum ea re dif-
fert, quod homo non merè ſenſu jucundi & moleſti ductus
virtuti operam det, ſed cum primis perceptione juſti & in-
juſti, utilis & inutilis, honeſtatis ſtudio operam navet, vitet-
que contraria. In quo ſtudio ut feliciter progredi poſſent
homines, mutuiſque officiis & commerciis, pro varia indi-
gentiæ conditione, & ſocietatum natura, ſibi invicem ſub-
venire, præter Rationem iis Natura & alterum præcipuum
donum tribuit Orationem, Rationis & omnis λογισμῶν in-
terpretem. Oratio inventa eſt ad declarandum, quod prodeſt
& obdeſt. Quare etiam juſtum & injuſtum. Hoc enim adver-
ſus cæteras animantes hominum proprium eſt, ſolum ipſura boni
& ma-*

Et mali, justi Et injusti, Et aliorum sensum habere. i. Polit. d. l.
Unde idem Aristoteles etiam alibi ita concludit: *Jus nobis
non est cum rebus inanimis. Imò ne cum equo quidem aut bove.*
8. Nicom. 1. §. 15.

XVIII. Expendamus & alteram dubitationem, quæ
de pœna brutis infligi solita fuit mota. Hic primò illud
monendum est, Pœnam omnem propriè dictam, siquidem
eam non iniquè irrogare decreveris, præsupponere Meri-
tum. *Culpram, inquit Poëta, pœna premit comes.* Et juxta
hujus Meriti mensuram definienda quoque pœna, & modò
major, modò minor infligenda est. Unde Papinianus pœ-
nas appellat *astimationes l. 4. ff. de pœn.* Meritum tale non
potest nisi ex actionibus moralibus, adeoque & liberis, e-
mergere, cujus imputationem pœna excipere solet. De-
inde & hoc observandum est, Pœnam non esse unius gene-
ris, sed aliam dici *κόλασιν*, aliam *τιμωρίαν*. Harum una quid
ab altera differat, docet Aristoteles *1 Rhet. 10.* & nos idem
accuratè *Tractatu de Pœnis* demonstravimus. *τιμωρία* non in-
fligi meritò potest, nisi propter delicta sponte seu libere ab
homine patrata. Adeoque hæc quidem pœna brutis non
dictabitur, quæ moraliter & libere agere seu peccare nesci-
unt. At *κόλασιν* aliquam seu castigationem etiam brutis
adhiberi, omnino negandum non est. Interim multum
differt hæc *κόλασις*, ab ea, qua homo castigatur. Quippe in
bruta *κολάσει* non animadvertitur, quod verè aut propriè
peccarint, sed ut sensu doloris aliter, certo ve modo operari
condiscant. At in hominem *κόλασις* expeditur, ut sensu do-
loris deterritus & emendatus Voluntas ejus non nisi bona
& honesta appetat, taliaque eligat *προαίρεσις*. Autor *Quæ-
stionum & Responsorum Justino tributorum qu. 128. τὸ δὲ
Φαυλότητι, πράξεως Διὰ εἶδεν τῶν ἀλόγων τὰς φύσεις, ἢ ὅτι εὐλο-*

207, *Rationi consonum non est, naturam animalium, que ratione carent, ob factorum pravitatem reprehendere.* Quæritur, quomodo sit reum pecus, cum sit irrationale, nec ullo modo legis capax, inquit Augustinus. *vid. c. 4. Caus. 15. qu. 1.*

XIX. Cur ergo, inquis, *Genes 9. v. 5.* legitur, Deum sanguinem hominis interempti ulturum etiam in bruto? Cur bos cornupeta, qui hominem occiderit, lapidibus obrui jubetur? *Exod. 21. v. 28.* Cur bruta, quibuscum nefariè homo se commiscuisset, interfici vult Deus? *Levit. 20. v. 15.* Hæ sanctiones utique non eo fine sunt latæ, ac si bruta verè ac moraliter deliquissent, ac jura violassent; sed è medio illa cum primis tolli voluit Deus, ut tantò luculentius summam detestationem, qua etiam tale homicidium & Sodomiticus concubitus prosequitur, oculis hominum ingereret: perinde uti cum Achane ejus quoque tentorium comburebatur. Deinde scandalum quoque & delicti memoriam Deus cum bruto aboleri voluit, ne hoc superstitè illa identidem refriicaretur. *c. 4. caus. 15. qu. 1.* Quin etiam novi damni ac nocimenti periculum ita potuit præverti. Et quas fortè alias præter has rationes excogitarunt Hebræorum magistri, quorum textus diligenter collegit Seldenus *de 7. N. G. jux. disc. Hebr. lib. 1. c. 5.* Cum primis autem hoc novum non est, & hodie etiam usitatissimum, ut quidquid atrocioris delicti perpetrati instrumentum fuit, unà cum delinquentè aboleatur; Ita non minus hodie, atque olim, bruta, quæ instrumentum infandæ libidinis homini fuerunt, cum homine comburuntur. *Const. Crim. Carol. art. 116.* Ita quoque non solum veneficæ, sed & defossæ ollæ & quisquilix, quibus striges usæ fuerunt, ad incantationem, igne absumi consueverunt. Ita Deus delubra, lucos & omnem supellectilem Cananæorū devotam esse, & comburi voluit, quod



quod multa ex his idololatriæ instrumenta fuissent. *Deut.*
13. Refert quidem Plinius *lib. 8. c. 16.* autore Polybio Æmy-
liani comite, leones quandoque obsedisse Africæ urbes,
eaque de causa crucifixos vidisse Polybium cum Scipione,
quia cæteri metu pœnæ similis absterrerentur eadem
noxa. Et *lib. 29. c. 4.* ait, supplicia annua canes, quod Gal-
los Capitolium occupantes latratu non indicassent, pen-
dere inter ædem Juventutis & Summani, vivosque in furca
sambucea arbore fixos. Quæ si fortè ita sint, non tamen
pœnæ aut supplicii propriè dicti rationem habent. Fortè
enim experimento didicere Afri, leones naturali fuga aver-
sari illa loca, ubi sui generis cadavera olfecerint. In cani-
bus ita trucidatis Romani militum suorum ignaviam aut
perfidiam hoc qualiscunque pœnæ exemplo præpedire vo-
luerunt. Esto etiam, quod ob interemptum puerum in
Burgundia porcum suspendi viderit Guido Papa, ut ipse re-
fert *in Decis. Gratianop. qu. 238. Bachov. ad Wesenb. de Pœnis.*
num. 6. Hoc enim fortè factum fuit, ut ejusmodi facinus
magis detestarentur ab homine patratum, fugerentque ma-
gis homines. Neque alia videtur esse ratio placiti, quod
Plato *9. de Legg.* proponit: *Si brutum seu jumentum aliquem
occiderit, cædis reum illud peragant cognati, & ab Agronomis da-
mnatum è regionis finibus ejiciatur.* Plura hujus generis col-
legit Joh. Frid. Hornius erudita dissertatione *de Subjecto Ju-
ris Naturalis. cap. 12. num. 4.*

XX. Neque etiam multum negotii faceffit, quod ex
l. 1. §. 11. ff. si quadrup. paup. feciss. dic. objici solet. Nam cum
arietes vel boves commisissent, & alter alterum occidisset, Q.
Mutius distinxit, ut si quidem is perisset, qui adgressus erat,
cessaret actio: si is, qui non provocaverat, competeret a-
ctio. Sermo hic est de actione noxali qua resarciri petitur
damnum



damnum à bruto datum, quod Pauperies Jctis dicitur. *d. l. 1. pr. & §. 3. eod.* Si ergo brutum temere damnum dederit, utique dominus ad præstationem damni conveniri poterit, vel, quæ mens erat Legis XII. Tabb. actio noxalis instituetur, ut vel noxam dedat §. 14. d. l. vel æstimationem noxiæ offerat. At damnum non videtur dedisse quadrupes, quæ defendendo quadrupedem invadentem enecat, sed si provocans aries provocatum obterat. Nam *manifestam æquitatem hoc habet, ut in bestis etiam, quæ Juris non rem ipsam, ut diximus, sed umbram habent quandam, distinguamus inter vim, quæ injuriam infert, & quæ propulsat.* Verba sunt Grotii *lib. 1. de J. B. P. c. 2. n. 3.* Add. *Frantzkius exerc. 1. qu. 3.* Quando etiam Ulpianus ait, Noxiam esse ipsum delictum *l. 1. §. 1. ff. si quad. paup. fec. & l. 238. inf. ff. de V. S.* & *ἔξενσις* ea voce utitur, pro damno à bruto dato. *Goeddaus ad d. l. 238.*

XXI. Non etiam sive S. Patrum sive aliorum utcunque magni nominis Scriptorum quædam *ῥήσεις* à vera sententia nos dimovebunt. Quando enim Ambrosius asinorum & equarum coitus, adulterina contagia, & vera adulteria naturæ, & adulterium jumentale vocat: hospitalia avium jura memorat, avesque non scripta, sed nata lege stringi: Quando Hieronymus animalibus & bestiis ipso naturæ Jure præscriptum esse ait, ut prægnantes ad partum usque non coëant: Quando Aristoteles, Varro, & Ælianus narrant, camelos & equos, ubi cum matre se coisse cognovissent, camelarium morso defixo interemisse, præcipientes se dedisse, & morte scelus expiisse: Quando Plinius ex eadem causa equam perorigam lacerasse: leonem odore pardi coitum sentire in adultera: feras quoque ipsas venere evitare nefas, inquit Seneca: palumbium cætum velut judicio solenni morte puniri sui generis adulteros scribit *Phile:*

Phile: quæque alia præter hæc à Seldeno lib. i. de J. N. G. c. 5. congesta sunt; *μῦφοεικῶς* & impropriè hos omnes loqui, quis non videt? Quod tantò libentiùs faciunt multi, quò majori studio ac severitate contendunt, ut in exemplum proposita brutorum continentia, tantò gravius hominibus suam intemperantiam exprobrent, & pudorem ex cornea fibra eliciant. *Aliud est, cum propriè loquimur, aliud est, cum verba ex aliis rebus transferendo vel abutendo mutuamus,* ait Augustinus lib. i. de adult. Conjug. ad Pollent. c. 16. Quis enim dubitat, multò fœdiora esse illa flagitia, à quibus homines sæpè excellens vis Rationis retinere nequeat, bruta vero solus instinctus animalis queat? Eo enim præcipuè fine Deus homini præ brutis Rationem indidit, ut voluntatem Dei ex legibus naturalibus tantò rectiùs agnoscat & exsequatur, adeoque ut brutorum propensionem, qua naturaliter ad bonum inclinant, longè superet, & vitia, à quibus illa naturaliter abhorrent, omni animi contentione aversetur & fugiat, semperque meminerit, per Rationem cum primis se à brutis discerni, & ad Deum ipsum, ejusque *ὁμοίωσιν* pro-
vehi.

XXII. Quemadmodum verò ea, quæ ceu vitia in brutis vituperantur, non sunt idonea, ut falsam nobis sententiam obtrudant, ac si bruta Juris sint capacia; ita nec idem efficiunt illa, quæ ceu justa & bona in iis laudari consueverunt. Ita Plinius lib. 8. cap. 5. divinationem quandam justitiæ in Elephantis notat. Et libro 10. cap. 74. narrat, aspidem fuisse, quæ suum ipsa catulum necaret, quod is catulus hospitis filium interemisset. Ita columbarum castitas, & defuncto compare cœlibatus, ciconia pietaticultrix laudatur, alia bruta aliis elogiis ornantur. Hæc vero non sunt nisi *μιμήματα τῆς ἀνθρώπινης ζωῆς*, vitæ humanæ imitamenta,

D inquit

inquit Aristoteles *lib. 9. de hist. anim. c. 7.* & ut Cicero ait,
virtutum simulacra 2. de finib. Hinc bene Grotius: *Si quan-*
do brutis animantibus justitia tribuitur, id fit improprie, ex qua-
dam in ipsis umbra rationis atque vestigio. lib. 1. de J. B. P. c. 1.
num. 11.

XXIII. Neque etiam Juris communio arcessenda est
ex actibus fortè quibusdam homini brutisque communi-
bus, veluti connubio, liberorum educatione, & similibus.
Nam circa eosdem materialiter actus aliter versatur homo,
aliter bestia. Homo, pro conditione suæ naturæ, quæ ra-
tionalis est. Quippe per Rationem homo est homo, discre-
tumque à cæteris animal. Bestia vero circa eosdem actus
versatur, quæque secundum instinctum & propensionem
suam animale. Etsi ergo bestia sint appetentes genera-
tionis, non tamen fide mutuò data ad certos naturæque hu-
manæ convenientes fines matrimonium ineunt, ceu Homo
facit; adeoque uti in matrimoniis hominum adulteriis
gravissimè peccatur, ita in bestiarum commixtionibus ad-
ulterium non cernitur. Curam quoque suæ proli habent
bestia, ut alatur, crescat, ab injuria immunis sit: Homo ve-
ro non tam corporis quàm animæ in prole rationem habet,
adeoque hujus potius quàm istius curam atque culturam
attendit, prolemque ad virtutis & *ἀρετῆς* studium excitat
atque educat. Quin etiam teneriori ac constantiori ad-
fectu homo suæ proli de alimentis prospicit, atque à brutis
fit. Quæ bestiola magis est sollicita pro suis pullis, atque
gallina? Interim ubi pulli paulùm adoleverint, & grana
exscalpere didicerint, rostro illos à se abigit. At homi-
nes (nequid de aliis eorum studiis dicam)

Serunt arbores, quæ alteri seculo profunt.

Bene

Bene hanc in rem Grotius i. de J. B. P. c. i. num. ii. An Actus ipse, de quo Jus naturæ constituit, sit nobis communis cum aliis animalibus, ut proles educatio; an nobis proprius, ut Dei cultus; ad Juris ipsam naturam nihil refert.

XXIV. Hujus rei absurditatem ita demonstrare voluit Hotomannus ad pr. Inst. de I. N. G. & Civ. quod admissio Jure naturali in brutis, etiam edere & bibere sint futura Juris Naturalis. Quod licet à Bachovio aliisque ceu ineptum reprehendatur, non tamen rationem habet nullam. Si enim ex communione actuum sequeretur communio Juris, illa certè non solum ad matrimonii & educationis jura esset transferenda, sed etiam ad alios actus homini brutisq; communes & ab animali natura proficiscentes porrigenda. Nam operationes à facultate vegetativa ortæ nullo modo justis injustis sunt capaces. At operationes à facultate sensitiva excitatæ hætenus justis & injustis sunt capaces, quatenus rationis imperio & obsequio sunt obnoxia, vel certè esse possunt ac debent. Quale rationis regimen cum in brutis sit nullum, obsequi etiam nullo modo poterunt Rationi vel Legi. ὁ γὰρ νόμος, λόγος ὡν ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νῦν. Est enim Lex oratio à prudentia & mente profecta. Aristot. 10. Nic. ult. § 35. Quo ergo modo brutum bruto conjungitur, prolesq; ab illis educatur, sine ratione aut lege; ita quoque edunt & bibunt secundum naturalem eamque necessariam inclinationem; cum è contrario homines edere ac bibere debeant secundum temperantiæ & frugalitatis leges: quas quoties homines violant, eò foedius graviusque peccant.

XXV. Bruta itaque nullo modo Juris capacia esse, nedum ut cum homine Juris communionem habeant, credo liquidissimè jam demonstratum esse. Tanta tamen apud multos est fuitque Ulpiani, qui contrariæ opinionis



architectus vel certè princeps autor est, autoritas & reverentia, ut cum hoc errare, quàm cum aliis rectè sentire malint. Quibus quidem non nisi pauca argumenta jam objiciam. Primò constat, ipsum Ulpianum disertè profiteri, brutū non posse injuriam fecisse, quod sensu, hoc est, ratione careat *l. 1. §. 3. ff. si quadr. pauper.* Si ergo bruta non possunt facere injuriam, quomodo Juris erunt capacia? Nam, qui justè agit, is libere ita agit. Si igitur bruta justè agunt, injuriam autem facere nequeunt, naturali & necessario impetu justè agent: quod est absurdum. Sicuti enim agnovit Ulpianus, injuriam fieri non posse, nisi in quibus Ratio est; ita nec juris erit capax nisi natura rationalis, cum utique non magis possit requiri ratio ad injuriam patranda, quàm ad actiones justè peragenda. Unde rectè ait idem Jctus *l. 3. §. 1. ff. de injur.* Furiosum non posse facere injuriam, quod doli capax non sit. Atqui hæc capacitas à ratione est. Præterea idem Jctus quando Jus à Justitia arcessit ea, qua supra dixi, ratione, quatenus justæ actiones ab habitu Justitiæ promanant; tale Jus utique bestiis tribui nequit, nisi quoque iisdem habitus morales adserere velis: quod est perquam absurdum, cum habitus partim *ei Quia*, partim doctrina, cum primis vero adsuæfactione, qualis soli homini competit, comparentur. Qua de re plura supra dixi.

XXVI. Deinde velim Juris bestialis patroni (quorum nominibus libenter parco) diligenter perpendant, annon, dum docent contenduntque, bestiis Jus competere, impii sint in Deum. Hujus enim providentia optimè consuluit omnibus animalibus, & cuique speciei propriam naturam propriasque quasdam qualitates & inclinationes indidit. Si ergo illius rei communionem ad bruta transuleris, cujus non est capax nisi natura rationalis, sic ut Deus præ-

præcipuè hanc ob causam ratione præditum esse voluerit hominem, ut justè viveret, jurisque vinculo societates suas animal hoc naturâ sociale contineret ac conservaret; non possunt non ingrati haberi atque impii adversus Deum, qui hoc modo ipsius providentiam quasi cavillantur, & vel in bestias homines, vel in homines bestias diffingere fatagunt. Arbitrentur ergo ipsi, præstetne agnoscere ac fateri, Ulpianum humani quid passum fuisse, an divinæ providentiæ obloqui & obniti? præstetne reverentia Ulpiani falsam sententiam tueri, an divini Numinis religione ductum veram amplecti.

XXVII. Sunt sanè nonnulli, qui Ulpiano ita suppeditias ferunt, ut comiter eum excusent, & adscitas quasdam expositiones adferant, ut tamen utraque manu largiri nobis id videantur, quod volumus, & veritati concedant. Quod dum faciunt, non certè tam inclementer de iis, qui hac in re ab Ulpiano discedunt, sentiendum est, ac Dn. Tabor facit in *partit. element. part. 1. num. 8.* *Quam, inquit, expositionem quia bestialia capita non capiunt, sine acumine impiè vellicant.* Bona verba quæso. Sunt alii, qui sibi persuadere nequeunt, Ulpianum impiæ hujus sententiæ autorem esse, quin illam Triboniano tribuere malunt. Qui quamvis concessa sibi per *l. 1. §. 7. C. de vet. jur. enucl.* potestate sæpiusculè est abusus: ceu id ipsum post alios peculiari opera ostendit Jo. Jac. Wissenbachius; non tamen puto ea omnia, quæ fortè in veterum Juratorum textibus desideramus, protinus Triboniano imputanda esse, cum & isti homines fuerint. Sed cū Ulpianus speciatim doceat, Naturalis Juris bruta esse capacia, hic vero de capacitate Juris in genere quæstio sit, suo loco dispiciendum erit, ecqua ratio adferri possit, qua id ipsum solidè vel saltem verisimiliter evincatur. Quanquam

nemini non tutò concludere liceat, si bruta Juris in genere non sint capacia, neque Naturalis Juris communionem ipsis rectè tribui.

XXVIII. Præterea rectè docet Aristoteles 8. *Nicom.* 9. Jus & Amicitiam in eodem subjecto conjungi, putà Societate: ut ubi hæc sit, ibidem & Jus & Amicitiam adesse necessum sit. Est enim Jus vinculum societatum, & Justitiam omnes fatentur esse virtutem, quæ societates conservat. Si ergo bruta verè sunt Juris capacia, sequetur, etiam Societatem inter bruta hominesque esse, jureque sociali contineri, sibi que invicem obstringi. Cumque secundum Aristotelem Homo sit naturà animal civile, bruta quoque civilis Juris erunt capacia, adeoque homines socios civesque, habebunt canes, asinos, cercopithecus, simias & reliquas bestias. Atque ex istiusmodi variis civibus quas Respublicas constituent contrariæ sententiæ adsertores? sequetur item abstinendum homini esse à cæde brutorum: cum salvo Jure sociali, socius à socio pro arbitrio interimiri nequeat. Hoc vero est, societates omnes non solum hominum instituto conditas, sed & à Deo ordinatas prorsus evertere, summaque inhumanitate & vecordia divinæ providentiæ oblectari.

XXIX. Ut vero hinc evidentissimè perspiciamus: quàm omnino verum sit illud Aristoteleis, ἐνός ἀπέπρξ δόξεντος συμβαίνει ἑ πλῆθὸς, eò tandem prolapsi sunt nonnulli Juris bestialis patroni, ut ad inanima quoque illud producere, & docere haut veriti sint, lapidem obligari tendere deorsum, ignem sursum. Quæ sententia quam sit absurda ex his facile colligi poterit, quæ suprà de Obligatione diximus. Ita docuit *Vacon.* à *Vacuna lib. 1. declar. c. 1. nu. 9.* & *Lyclama lib. 7. Memb. Ecloga 30.* teste *Frantzio Exerc. 1. qu. 3.* Rectius omni-

omnino Aristoteles : *Nec Amicitia nec Jus est nobis cum
rebus inanimis, imò ne cum equo quidem aut bove.* 8. Nicom. 11.
§. 15. Unde porro & hoc colligere licet, neque propriè di-
ctam Societatem inter bruta esse, etiamsi horum nonnul-
la sint ἀγελαία, grege, agmine aut caterva conjungantur.
Unde Philosophus rectè infert, eum hominem, qui socie-
tatis sit impatiens, vel ad belluarum, vel ad Dei naturam ac-
cedere. 1. Polit. c. 2. p. m. 8. Et eodem cap. ait, Hominem
societatis civilis appetentiorum esse, πάσης μελίτης καὶ πάντες
ἀγελαίς ζῶν, *præ omni ape, & omni gregali animante.* Ita cum
docuisset, Amicitiam hominum præcipuè excoli consuetu-
dine vitæ, & sermonum atque ratiocinationis communica-
tione, hæc subjicit 9. Nicom. 9. §. 49. *Sic enim societatem & con-
victum hominibus proprium definiri debere videtur: non ut in
pecudibus, pascuorum & pabuli communitate.* En igitur quàm
indissolubili nexu Societas, Jus & Amicitia cohæreant, ut cui
unum horum verè conveniat, ei & reliqua tribuenda sint:
& qui unius horum sit incapax, is quoque à reliquorum
communione perinde excludendus sit.

XXX. Nil quoque vetat, etiam alia ratione contra-
riæ sententiæ impietatem detegere, quod, dum bruta ad
communione Juris admittuntur, Imagini divinæ nimi-
um quantum detrahatur. Credo enim saltem hoc esse
indubitatum, solum hominem esse conditum ad Imaginem
divinam. Non jam operosè inquiram, quot quantisque
eximiis dotibus constiterit Imago divina, hanc curam The-
ologis libenter relinquens, Intellectui singularem ac con-
cretam notitiam tribuentibus, ac porro docentibus: quod
corpus hominis fuerit immune à morbis, & quod homo
potuerit non mori, si non peccasset: quodque hominibus
in bruta excellens dominium fuerit datum, ut quasi nutu
ad



ad obsequium flectere illa potuerint. Hoc inquam mittam, idque solùm urgebo, quod Apostolus ad *Epbef. 4. v. 24.* & *Coloss. 3. v. 10.* disertè docet, Imaginem divinam constituisse in *Justitia & Sanctitate*, perfecta voluntatis humanæ cum divina, & adfectuum cum ratione, actionum humanarum cum legibus divinis harmonia, ut totam Dei legem exactissimè homo implere potuerit. Si itaque bestias in Juris communionem admiseris, necessum est, Imaginis divinæ quoque easdem participes à Deo factas esse concedas: quod impium est & absurdum. Quippe si bruta Juris forent capacia, cum primis naturalis Juris communionem haberent, vel saltem ab illa excludi non possent: cum in Legis divinæ moralis observantia præcipuè Imaginem divinam reluxisse cognoverimus. Apage ergo infelix illud dogma, ut nunquam amplius ceu Pelias recoctus reviviscat, sed Lethæis aquis mersum æternùm damnatum esto.

XXXI. Sed cum multi non tam rationibus, quàm auctoritate magnorum nominum ducantur, & Jus homini cum brutis commune esse, *communem opinionem* esse inquit Franzkius *Exerc. 1. qu. 3. n. 1.* non inconueniens erit, etiam pro nostra sententia meliorum Autorum testimonia quædam ceu *ἄκρον* superioribus argumentis admetiri. Hesiodus *lib. 1. ἐργ. καὶ ἥμ.* cum dixisset, bruta se invicem vorare ac consumere, *pisces ut sæpe minutos Magnus comest, ut aves enecat accipiter;* Hanc rationem subjicit,

----- ἐπεὶ ἔδωκε δίκην δὲ μετ' αὐτῶν.

Ἀνθρώποισι δ' ἔδωκε δίκην, ἢ πολλὸν δέξῃ.

Quia, inquit inter bruta nullum jus est. At homini Justitiam dedit Deus, rem omnium optimam. Geminam esse huic Aristotelis sententiam, jam supra cognovimus. Eandem confirmat



firmat toties Cicero. *In equis, in leonibus Justitiam non dici-*
mus, inquit 1. Offic. Idem lib. 1. de legib. ait de Homine, quod
solus ex tot animantium generibus atque naturis, sit parti-
iceps rationis & cogitationis, cum cætera sint omnia exper-
tia. Itaque hinc porrò ita colligit: Inter quos autem ratio
inter eosdem etiam recta ratio communis est. Quæ cum sit lex,
lege quoque consociati homines. Inter quos porrò est communio
legis, inter eos communio juris est. Cum ergo ex animalibus
foli homini rationem tribuat, omnibus reliquis eandem,
omnino deneget, facile apparet, ita sensisse Ciceronem, bru-
tis nequaquam Jus tribui posse. Et quid disertius his dici
posset, quæ 3. de Finib. leguntur: Quomodo hominum inter
homines juris vincula esse putant, sic homini nihil juris est cum
bestiis. Mitto alia ejus loca. Ipse Plutarchus etiam pedi-
bus it in hanc sententiam. Legit & Justitia adversus homines
tantum naturâ utimur, in vita Caton. Maj. Polybii, Juvenalis,
Lactantii, aliorumque testimonia videre licet apud Gro-
tium 1. de I. B. P. c. 1. n. 11. & in Annot.

XXXII. Recentiorum quoque cum Theologorum,
tum Juristarum, nec non Philosophorum extant in eandem
rem luculentissima testimonia, D. Augustini c. 4. caus. 15. q. 1.
ubi ait, pecus nullo modo esse legis capax D. Thomæ 1. 2.
q. 91. art. 2. ubi ita differit ad 3. *Etiam animalia irrationalia par-*
ticipant rationem æternam suo modo, sicut & rationalis creatura. Sed
quia rationalis creatura participat eam intellectualiter & rational-
iter, ideo participatio legis æternæ in creatura rationali propriè
Lex vocatur. Nam Lex est aliquid rationis. In creatura a, irratio-
nali non participatur rationaliter: unde non potest dici Lex nisi per
similitudinem. Suaresii lib. 1. de legib. c. 1. n. 2. & c. 3. n. 8. Animalia
bruta non sunt capacia propriè legis, sicut nec obedientiæ; cum nec
ratione, nec libertate utantur. Fernandi Rubelli de Obligatio-

E

nib.



*nib. part. 1. lib. 1. qu. 2. §. 1. Ludovici Carbonis lib. 5. de legib. disp. 5. Georg. Calixti Epit. Theol. Moral. de Legib. p. 48. Guilielmi Amesii de Conscientia lib. 5. cap. 1. qu. 3. His consentiunt celeberrimi nominis Icti præter antiquiores Ictos Hebræos, Albertus Bolognetus, Ioachimus Mynfingerus, Franciscus Hotomannus, Johannes Corafius, Hugo Grotius, aliique, quorum & nomina & textus diligenter indicant Joh. Seldenus lib. 1. de J. N. G. jux. disc. Heb. cap. 5. p. 72. edit. Argent. & Hahnus ad Wesembecii Paratitla de Just. & Jure. n. 14. pag. 40. edit. noviss. Ipse Wesembecius d. l. disertè ait, quod solus homo Jure regatur. Quibus etiam suffragatur Georgius Frantzkius loco suprâ citato his verbis: *Si rectam rationem principiorum juris penitus intueamur, certum evadit, nullum jus, quale etiam sit, sine ratione subsistere; adeoque in quocunque subjecto ratio non reperitur, illud etiam protinus juris omnis incapax existimari. Ea autem ipsa cum brutis animantibus denegetur, & ipsum Jus propriè illis attribui nequit. Nihil verius, nihil melius. Denique eandem rem confirmant Conradus Hornejus lib. 4. Philos. moral. cap. 3. num. 21. Claudius Salmasius de Usuris cap. 9. Petrus Gassendus in Syntagm. Philos. Epicuri cap. 27. & tot alii, quorum integrum catalogum hic contexere neque licet, neque necessum esse videtur.**

SOLI DEO GLORIA.

ULB Halle

3


005 972 221



10 17







24

EXERCITATIO ACADEMICA
De

37
12

J U R E

in genere,

1670, 2

Quam
D. O. M. A.

PRÆSIDE
SAMUELE RACHELIO J. U. D.
Juris Nat. & Gent. PP. Collegii Juridici
Decano, & Academiæ h. t. Prorectore

Magnifico,
Publica disquisitioni submittit
JOHANNES BAMBAMIUS
Otterendorpio - Hadelensis,
RESPONDENS.

ad d. VII. Septembris, in Auditorio Majori. 670.



KILONI,
Typis JOACHIMI REUMANNI, Acad. Typogr.

